



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 4. Baptismus è porcis præstigiosis homines faciens magnæ conuersionis
caussa fuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

tiæ defensorem Deum? Itaque deplorata
sua infelicitate ad preces sacras se contu-
lit, illi quæsta iniuriã, cui soli cognita erat
iustitia causæ. A precibus ubi surrexit,
ignara consilij, quouë regente duceretur,
saltem rogauit, vt sibi prius quàm morien-
dum esset, liceret sacris vndis abluere eum,
quem peperisset. Annuit rex, deditq; id
faciendi potestatiẽ; ea tamen lege & con-
ditione, vt adessent baptismo aliqui fidei
spectatæ viri, vnà cum rege, ne qua fraus
intercederet. Mira res: quàm primùm
baptismo tinctus est puer, adeò repenti
venustus formosusq; apparuit, vt rex pro-
digij magnitudine permotus, cum pluri-
mis satraparum, qui aderant, plebemq;
sibi subiectam post se traxerant, manus
nomenque Deo dederit, maximumque rei
Christianæ factum sit incrementum. Quis
neget hanc vim baptismo? cùm penetret
vsque ad animæ labem abluendã, cur non
& corporum menda posset, Deo iubente,
emendare?

§. IV.

*Baptismus è porcis prestigiosis homines faciens
magna conuersionis causa fuit.*

Quod si puer iste non fuit satis mon-
strosus,

Niceph.
l. 8. hist.
Eccl. c. 35.
Sozem.
l. 2. c. 7.
Bozius t.
2. l. 1. c. 16.

strosus, alia super sunt & maiora, & quæ,
dum baptismi virtutem ostenderunt, mag-
nas Christo animas lucrata sunt. Nam, et
alii aliter hanc historiam referant, sunt ta-
men etiam qui affirmant, Tyridatem Ar-
menia regem, imperante Constantino,
Christum hac occasione secutum. Post-
quam enim variè Christianos vexavit,
tempore Diocletiani, visus est sibi cum
multis suorum in porcum mutari. Agno-
scebantur præstigiæ & spectra, sed nulla
erat ars, quæ ab eis regem cum suis libera-
ret. Solus Gregorius Thaumaturgus cum
cum suis asseclis, aquis baptismi pristinae fi-
guræ & moribus restituit. Quo signo moti
Armeni longè lateq; Christi cultum am-
plexi sunt. Nicephorus sic rem narrat:
*Cum Gregorius ille, qui miraculis edendis cla-
rus fuit, multa à Teritate propter Christum
passus, & post multas variasq; malorum spe-
cies, ad quatuordecim annos, foveæ cœnosa &
caliginosa inclusus esset, Teritates ipse eius gen-
tis princeps, cum domo sua tota, & cum opti-
matibus divine ira vindictam est expertus. Ad-
vitam enim simul & formam porcorum re-
ducti seipsos deuorabant. Ceterum ex fovea
illa extractus D. Gregorius, uno signo omni-*

bus Christum colere persuasit: & suilla forma atq; vita liberatos, institutum nostrum complecti coëgit, delubra eis construxit, sacra arcani & mystici sacrificij celebravit, & novis miraculis daemones ex ea regione exturbavit. Sunt qui Gregorium unà cum Teridate ad Imperatorem magnum Constantinum venisse tradant, eumq; tam miranda & inopinata audientem magnopere latatum esse, & Gregorium ipsum totius eius regionis episcopum ordinatum eò misisse. Æthiopem lauare posse aquam illam, quæ è porcis homines fecit, quis dubitet? Hoc nimirum est inter Mundum & Deum discrimen; Circe ex hominibus porcos, Christus è porcis homines fecit, hoc est, è porcis, humanos & homine dignos mores esse iussit. Quare & ipse Teritates tum demum verè esse homo cœpit, cum monstrum esse desijt.

§. V.

Baptismo leprosi curati.

Quoniam autem suprà leprosos quoque, inter monstra numeravimus, quibus nihil est immundius, dicendum nunc est, hoc etiam pacto multos fuisse monstrosos, vt Deus palam faceret, quanta sit baptismi vis ad animam mundandam, si potuit
à cor.